



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Pro Defunctis, Propinquis & Benefactoribus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

morationem nos facere præcepisti, in nostræ proficiant necessitatis auxilium, Per Dominum,

Pro Tribulatis.

DEUS qui justificas impium, & non vis mortem peccatorum: Majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut famulos tuos de tua misericordia confidentes cælesti protegas benignus auxilio, & assiduâ protectione conserves, ut tibi jugiter famulentur, & nullis tentationibus à te separentur. Per Dominum, &c.

Pro Defunctis in genere.

HOSTIAS quæsumus Domine, quas tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, propitiatus intende, ut quibus fidei Christianæ meritum contulisti, dones & præmium. Per Dominum,

Pro Defunctis, Propinquis & Benefactoribus.

PRÆSTA quæsumus omnipotens & misericors Deus, ut animæ Fratrum, Propinquorum & Benefactorum nostrorum, pro quibus hoc Sacrificium laudis tuæ obtulimus Majestati, per hujus virtutem Sacramenti à peccatis omnibus expiatae lucis perpetuæ te miserante recipiant beatitudinem. Per D. N. J. C.

